M. ANTONII CHRISTOPHORI CONG. S. PAULLI, ET IN SEMINARIO BONONIENSI...

Marco Antonio Cristofori





M. ANTONII CHRISTOPHORI
CONO. S. PAULLI,
Et in Seminario Bononiensi Humaniorum Litterarum Professoris

ORATIO
De Eminentissimo, ac Reverendissimo Principe

VINCENTIO MALVETIO
A
BENEDICTO XIV.
P. O. M.

In Amplissimum Cardinalium Ordinem Cooptato,

ET ARCHIEPISCOPO BONONIENSI

Nuperrime Renunciato.



BONONIÆ ex Typographia Lælii a Vulpe.
MDCCLIV.
Superiorum auctoritate.

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO

VINCENTIO MALVETIO

CARDINALI AMPLISSIMO
ARCHIEPISCOPO BONONIENSI
S. Q. R. I. PRINCIPI

M. ANTONIUS CHRISTOPHORUS CONG. S. PAULLI
S. P. D.



N tanta hujus Civitatis ob Amplissimum Sacerdotium tuum lætitia, VINCENTI PRINCEPS EMINENTISSIME, *si præcipuum, ac prope singulare nostrum fuisse gaudium dixero; non me scilicet ex quotidiana omnium consuetudine, sed vere, atque ex animo illud dixisse, facile intelliget, quicumque norit, præclaram Te, san-*

ctissimamque Benedicti Pont. Max. disciplinam diuturna Illius imitatione tuam Tibi fecisse; neque idem ignoret, & ubi nos simus, & cujus hic simus imperio. Benedicti XIV. honestissimo de nobis decreto, ut Te, Princeps, non fugit, accersiti, sacris addictos Adolescentes ad pietatem, atque ad optimas facultates informamus; remque familiarem in hoc Seminario, Collegioque administramus, cujus Idem Ipse Auctor fere, ac Conditor haberi debet munificentissimus. Nam parvum olim, ac perincommodum cum esset; nunc & amplum, & magnificum; neque vestibulum habet, neque atrium, neque aulam, neque cubiculum, neque cœnationem, neque gymnasium, neque sacellum, quod non Ille extruendum, ornandumve curaverit: adeo ut, sive preces ad Deum O M fundas, sive solus ad litteras incumbas, sive doceas, sive audias docentem, sive ultro, citroque deambules, sive etiam accumbas, non possis quin Benedicti Pon. Max. incredibilem liberalitatem, atque amorem statim recorderis. Cum autem præter hæc omnia, etiam alienum æs, quod propter temporum difficultatem contractum hic fuerat, per summam clementiam dissolverit Ipse de suo, cum hujus Collegii censum liberalissime auxerit; quanto latius Patria Sibi carissima, ac quanto diuturnius profuisse existimandus est? quam recte hoc ipso consuluit, ut, quæ munerum hic ratio fieri postularet, ea pro loci, rerumque dignitate honorificentius præstarentur? Nam ad cultum animorum, atque ad decus quod attinet, quis efferre satis Illius studium, ac largitatem potest, quibus hujus quoque partis omnes numeros ex-

pie-

plevit? Quot enim Ille libros huic Seminario dono misit, quanto cultu, quanta dignitate, quanto splendore excusos; quam denique sua doctrina dignos, suaque munificentia? Quod quantum ad eruditionem conferat, is unus ignorat, qui in probatissimis, lectissimisque editionibus, quanta sint adjumenta, ac præsidia nunquam potuit experiri. Quod vero Cathedras honorarias in Publico Gymnasio tres nostris hominibus, qui scientias hic profiterentur, Bononiensis Senatus Consulto decerni curaverit: quod sapientissimorum Antistitum (id quod Ille pulcherrimum semper judicavit) sequutus exempla, atque instituta potestatem etiam dederit in scholas recipiendi ingenuam ex tota Civitate juventutem, quæ nobis uti doctoribus vellet; quanti demum id putas esse faciendum? Tanti scilicet, quantum Adolescentibus, qui hoc in Seminario aluntur, conferre æmulationis accessionem cognoscis, quæ ad bonas artes ex majori æqualium frequentia facta est: quanto etiam credendum est, magistros ad rem alacrius gerendam inde vehementius excitari, quod suos ipsi quotidianos labores patere latius, neque domesticis parietibus terminari intelligant. Sed neque mirificam tanti Pontificis erga nos humanitatem, quam ego in maximi beneficii loco habendam puto, ullo modo præterire possum. Fateor, Princeps, me sæpius eorum invidisse fortunæ, qui ex nostro numero Benedictum Pont. Max. præsentes venerari, Ejusque pedes deosculari potuerunt. Quot enim, Summe Deus, ac quanta illi ab Urbe redeuntes libentissime prædicabant, præsertim de facilitate illa, humanitateque singulari, qua ab Homine supra sortem homi-

num

num posito accepti essent; quaque Ipse nostram hic qualemcumque operam probare Se, non obscure indicavisset! Quantum etiam eo judicio, eaque benignitate honestatos se fuisse existimabant! Cum vero Ipsius litteras ad Moderatorem nostrum datas interdum legendi copia mihi facta esset, noli quaerere, quantam animo caperem voluptatem; quantosque stimulos ad munus obeundum meum admotos mihi inde sentirem. Equidem, mihi si maximum quodlibet praemium dedisset, nunquam uberiores, praestantioresque meorum laborum fructus cepisse me putarem, quam ex illis tuli epistolis, quibus immortalitate veluti quadam me donatum judicavi. Quae cum ita sint, nos profecto, qui Bononiensis Archiepiscopi non in fide magis, quam in aere sumus; Ejusque auctoritati non in iis solum, quae ad religionem pertinent, sed omnibus omnino in rebus parere, atque obtemperare debemus; cum nunciatum est, obtigisse nobis Antistitem Illius similem, Cujus tot, ac tanta in nos promerita, ac studia extiterunt, quod idem fere fuit, ac si illorum Conservatorem, Amplificatoremque bonorum nobis datum esse audiverimus; qua tandem laetitia affecti sumus, Tibique ut omnia in Sacerdotio isto tuo fauste, atque feliciter evenirent, quàm multis a Deo Opt. Max. precibus expetiverimus; non Te modo ipsum, sed omnes etiam homines, puto, vel tacente me, facile existimaturos. Utinam vero, Princeps, modestia tua, qua nuper Orationem de tuo Pontificatu scribentem impedivit, non eadem & nunc vetaret me paullo fusius de tuis laudibus dicere, eaque perfequi diligenter, in quibus Te Benedicto

Pont.

Pont. Max. quam simillimum esse intelligo. Exultaret enim in hoc tam immenso campo epistola, ac minus jam ægre ferret, Orationem in illas angustias compulsam fuisse; cum tam uberem, tam variam, tam etiam optatam, atque jucundam tuarum virtutum prædicationem sibi reservatam esse videret. Pietatem ipsa, comitatem, liberalitatem, benignitatem, clementiam, doctrinam, litterarumque, ac litteratorum amorem, ceterasque animi affectiones tuas gestiens, ac triumphans ostenderet: nec mora, comitatum illum virtutum inspectantibus tuum, juberet itidem illas contemplari, quæ veluti administræ, ac sociæ ipsi Benedicto ubique adsunt, consiliorumque Ejus, ac sermonum, factorumque omnium participes sunt: tum vero quæreret, num quod animorum par fuerit unquam magis simile, quam estis inter vos Tu, & Benedictus? quin illud etiam sciscitaretur, utrum illi conjectura magis perspicerent, aut re potius viderent, omnibus, & iis maxime, qui singularibus sæpe beneficiis a Pont: Max: ornati essent, eadem a Te expectanda esse, quæ ab illo profecta fuisse meminissent? Sed malo ego, Princeps, cum probitati tuæ, vel potius verecundiæ sim obsecutus, desiderari laudationem meam, quam, si id non fecerim, observantiam. Itaque illam ego orationem & nunc integram relinquens, de munusculo hoc meo qualicumque, quod Tibi offero, pauca dicam. Velim igitur sic Tibi persuadeas, nihil a me unquam scriptum esse libentius hac oratiuncula, quam præter ingentem illam pro tuo Pontificatu lætitiam, etiam gratus animus expressit. Cum enim Tui

bene-

honoris amplificationem cum celsissima Benedicti Pon. Max. dignitate, ornamentisque omnibus conjunctam esse viderem, putavi scilicet, id quod erat, datam mihi aliquando esse occasionem, jamdiu, multumque optatam, testificandæ observantiæ, pietatis, ac cultus erga Illum mei: itaque feci & egregia animi alacritate, & voluntate summa. Auxit vero non mediocriter partem illam mandatum tuum, Qui omnibus indictum esse voluisti, ut, si quis tuos Tibi Magistratus lucubratione aliqua gratulari constituisset, is Pontifici Maximo potius, quam Tibi primas tribueret. Neque enim Te latet, quanto promptiores ad agendum simus, cum maximi alicujus auctoritate movemur ad ea præstanda, quæ sponte facturi sumus, animo ut obsequamur nostro. Quid opus est pluribus? Inde accidit, ut non potuerim, quominus vel in his ad Te litteris, intimos animi mei de ipso Benedicto sensus Tibi indicarem: quin, nescio quo modo, factum est etiam, ut ego, qui nihil unquam ex meis studiis in apertum referre constitueram, mutata subito voluntate optaverim hanc Orationem divulgari, ad posterosque pervenire; ut extet aliquod testimonium grati erga Benedictum animi, judiciique de singularibus tuis virtutibus mei, atque ob tuum Pontificatum lætitiæ. Te itaque vehementer etiam atque etiam rogo, obtestorque, ut illam æquo animo accipias, tuaque auctoritate tuearis. Vale interea Cardinalis Amplissime, Tibique Deus O. M. omnia incepta, ac cogitata fortunet. Bononiæ ex Ædibus Seminarii pridie Non. Junii. MDCCLIV.

ORA-

ORATIO.

Quod pulcherrimæ hujus, florentiſſimæque Urbis Senatui ampliſſimo, quod æquiſſimis Magiſtratibus, quod ſanctiſſimo Sacerdotio præditis, ſingularique pietate, ac doctrina ornatis Hominibus, quod Virginibus ſacris, quod omnibus bonis accedere unum ad abſolutam, cumulatamque proſperitatem, ac felicitatem poſſe videbatur: id BENEDICTI XIV. P. O. M. divino quodam conſilio, atque incredibili fere in hanc ſuam Patriam caritate nuper datum nobis, atque impertitum eſt, cum hunc VINCENTIUM MALVETIUM virum clariſſimum, atque ampliſſimum in ſummum Cardinalium Ordinem legit, Reique mox Bononienſis Sacræ Moderatorem, atque Antiſtitem deſignavit. Erat enimvero, AA., cur nos antea etiam beatiſſimos exiſtimaremus, neque cujuſquam fortunæ, atque opibus invidendum putaremus; quod ad Petri navis gubernacula regenda Dei immortalia numine BENEDICTUS conſtitutus eſſet: Qui hic ortus ſit LAMBERTINORUM gente non ſolum priſca, ſed etiam nobiliſſima: quem ſacrorum Antiſtitem multos jam annos habuerimus: Qui ad ſupremum Pontificatum evectus, tamque amplum Imperium nactus, cum totum Chriſtianæ Reip. corpus ſtudioſiſſime Sibi, ac diligentiſſime tuendum, curandumque propoſuiſſet; tum hanc in primis Urbem putaverit amore quodam præcipuo, paternaque animi benevolentia, atque officio complectendam: Qui ex ſuis Civibus multos ſæpe in altiſſimis dignitatis gra-

dibus collocaverit: Qui ad præclaros mores, sanctissimamque disciplinam confirmandam, fidemque, & æquitatem stabiliendam, certa nobis jura statuerit, certasque leges descripserit: Qui tres hic Viros præfecerit sanctissimos, prudentissimos, virtute, consilio, ratione vitæ prope singulari, qui Antistitis officiis omnibus, quæ Ipse exequi absens non posset, diligentissime fungerentur: Qui Metropolitanum Templum, augustissimum illud, magnisque a Se impendiis amplificatum pontificio animo, ac splendore ornaverit, aliaque passim Fana iis muneribus affecerit, quibus ad res divinas maxima cum dignitate, ac religione faciendas uti possemus: Qui Scientiarum Institutum, Ædes illas celeberrimas, neque huic Civitati magis ornamento, quamcunctæ Italiæ, in quas natura, artesque res omnes pulcherrimas contulisse videntur, multis sæpius, magnisque donis auxerit; atque ad bonas artes fovendas, latiusque ornandas, novum Academicorum Ordinem in illis condiderit; ingeniisque nostris ut materiam suppeditaret optimis se in facultatibus exercendi, etiam egregiam illic Bibliothecam, omnibusque propositam, atque explicatam comparaverit: Qui nullis privatorum, nullis Reip. temporibus defuerit, neque quidquam antiquius habuerit unquam, quam ut Civium suorum commodis, atque utilitati prospiceret, eosdemque quam beatissimos efficeret. At vero cum tam honorifico de Te judicio, tanta etiam erga nos benevolentia, ac caritate BENEDICTUS ipse Tibi in sanctissimum Christianæ Reip. Consilium a Se paulo ante conscripto Pontificatum etiam Bononiensem detulit, sacrorumque Te hic principem, animorumque nostrorum tutorem constituit: quantum nos, Eminentissime Princeps, superiori illi, maximæque bonorum complexioni additum inde putavisse arbitraris? repete illius diei memoriam,

cum

cum opinione celerius in hanc Urbem Patriam tuam rediisti; pone illum ante oculos concursum omnium Ordinum, qui ad Te continuo factus est, voces hominum adventum tuum gratulantium, vultusque Te intuentium, atque admirantium recordare. Quis, per Deum Immortalem! fuit, qui non summum Pontificem ipsum, quo nihil poterat esse optatius, neque jucundius, domum aliquando revertisse crederet; potius quam alium in ejus locum suffectum advenisse existimaret? Quis, qui non perinde gauderet, atque si faciliores apud eundem Pontificem Maximum aditus sibi in posterum essent futuri, & celerius quæ postularet se ab Eo impetraturum esse videret? Id quod rute ipse, E. P., quam recte intelligeres, & mirifica illa tua humanitate, qua talem Civium tuorum observantiam, ac benevolentiam accepisti, & propensa in primis bene de omnibus merendi voluntate, quam continuo experti sumus, ita declaravisti, ut delatum tibi Sacerdotium multo inde jucundius esse, non obscure indicaveris. Verum enim vero in tanta cunctæ Civitatis lætitia, in præcipua etiam, ac prope singulari nostra, (Nam cum Te eodem planè loco habere incipiamus, quo & habuimus hactenus, & tua voluntate in posterum etiam BENEDICTUM XIV. habebimus; studiorum nempe, laborumque nostrorum Auctorem, ac Principem; dignitatis vero, ornamentorumque omnium Patronum, ac Defensorem; qui nam possumus de amplissimo honore tuo non in primis lætari, ac triumphare?) in tanta, inquam, lætitia, ac voluptate, illud ego magnopere vereor, ne parum omnino digna hujus celebritatis, clarissimæque lucis gratulatio mea videatur. Quantum enim, summe Deus, ac quam immensum mare nostræ, tamquam ratis, excurrere debet oratio! Quam copiosum mihi, ac multiplex argumentum pertractandum est! Si enim maxi-

mis tuis, Antiſtes Optime, ac ſingularibus ſtudiis, gratæque voluntati obſequi, ſi hujus conventus, ac frequentiæ hominum lectiſſimorum, mirificæ expectationi ſatisfacere, neque ego ſtupidus omnino, ac rudis videri velim, ~~cum~~ ne omnes facile intelligunt, mihi, & de BENEDICTO uno maximo, ac ſapientiſſimo poſt hominum memoriam Pontifice, a quo tantum bonum accepimus; & de Te, Princeps Ampliſſime, cujus cauſa tanta lætitia effetimur, eodem tempore eſſe dicendum? Quorum profecto alterius laudes dumtaxat ſi quis dicendo complecti, atque exornare conetur; non illas quidem mea ſolum, quæ minor etiam, quam mediocris eſt, ſed omni omnino eloquentia longe majores eſſe intelliget. At quoniam & officio impulſus, & meorum etiam hortationibus incitatus, tantum ſemel oneris ſuſcepi; veſtra in primis æquitate, benevolentiaque fretus, quam etiam atque etiam, AA., imploro; enitar ſcilicet, quantum a me fieri poterit, ut illud ſuſtineam. Quod ſi forte ſuccumbendum ſit; planum tamen inde faciam, non mihi in tanta publica, ac privata lætitia alacritatem, ſed ob ingentem rei magnitudinem, mentis, atque ingenii firmitatem defuiſſe.

Atque ut in tam ingenti, tamque immenſo campo, id quod neceſſe eſt, certos mihi fines, terminoſque conſtituam, extra quos egredi, ac liberius vagari non poſſit oratio: quæſo a vobis, AA., ut hanc mihi veniam detis, gratam, quemadmodum ſpero, Principibus Optimis utriſque, neque vobis injucundam; ut de ~~pro~~ BENEDICTO P. M., & hoc VINCENTIO Cardinali Ampliſſimo dicentem, patiamini hanc habere rationem, moderationemque loquendi, ut quæ ego aſſequi de Hoc potero, ea plane ex Illius auctoritate, ac ſtudio, quaſi ex aliquo fonte, manare videantur. Nam hoc ſi mihi a vobis tribui, concedique ſentiam: perficiam

ciam profecto, ut BENEDICTUS P. (quæ est eximia Ejus, ac singularis voluntas) sua virtute, ac dignitate cæteros ornari, atque honestari intelligat: mirifica autem hujus Principis modestia, quæ tantam movet approbationem, nostra fortasse gratulatione lætabitur; cum iis rebus, quæ in Ipso sunt, splendentque per se, allatam ab alio lucem existimabit: vos vero, cum me eodem nomine plurima, ac maxima leviter attingere, neque satis explicare, audiveritis, tacite eadem vobiscum recolendo, atque exornando, quæ sunt notissima; eam scilicet, AA., capietis ex mea oratione voluptatem, qua perfundi solemus, cum, aliorum scripta legendis, aliquid interdum de nostro addimus, ac veluti procreamus. Quod igitur a me video præstari non posse, quin de BENEDICTO XIV. præcipua quædam commemorem, unde tua, Princeps Optime, maxima dignitas oriri quodammodo, atque amplificari videtur; illud ego Tibi unum in præsentia gratulabor; neque ad laudem quidquam uberius Tibi, ac cumulatius accidere potuisse, quam ab Illo & in amplissimum Romanæ Reip. Cardinalium numerum referri, & Pontificatu hoc Bononiensi decorari, pro ea, quæ in me est, dicendi facultate, ac copia demonstrabo. Nam si laudari a laudato viro docti homines in optabilium, & honoratarum esse rerum genere statuerunt: quod ejus tanquam oraculum quoddam habeatur oratio; quippe qui neque admirari facile, neque de mediocribus prædicare unquam soleat; sed quæ præstantissima sunt, ac maxima, ea dumtaxat suspiciat, atque exornet: BENEDICTI certe XIV. præclarum aliquod de se judicium habere, & insigni munere dignum ei videri, cum quibus tandem laudis, gloriæque ornamentis comparandum putabimus? Cum enim BENEDICTUM LAMBERTINUM P. M. nomino, quem ego virum,

Summe Deus! quod pietatis exemplar! quod doctrinæ lumen! quod specimen prudentiæ nomino! Quantam enim putabimus ejus pietatem existimandam? Qui & inferiori loco cum esset (si tamen inferiori loco unquam fuit, qui in laude semper vixit) & summam Christianæ Reip. adeptus, nihil auri, nihil argenti habuisse unquam visus sit, nisi quod in Ædibus sacris condendis, amplificandis, exornandis impenderet; vel quo Domos ægris apertissimas, ac perhospitales ædificaret; vel quo in illos, qui exigua, aut nulla re uterentur, alendos large, liberaliterque erogaret: Qui nullum tempus dimiserit, neque diurnum, neque nocturnum, quin de religione propaganda, de morum disciplina moderanda, de insidiis perpetui hostis hominum, & Dei vitandis, cavendisque, de vitiis ex Christiana Rep. exterminandis cogitaret; quodque agendum, atque faciendum communis animorum salutis causa esset, id semper & appeteret, & studiose, libenterque præstiterit: Qui cunctis amplissimi Sacerdotii ritibus, cæremoniis, officiis & optaret perfungi, & ita perfungeretur, ut voce, oculis, vultu, totiusque corporis incredibili quadam dignitate satis indicaret, nihil aliarum rerum Sibi, nisi cælestia, ac divina in animo versari: postremo, si spectanda amicitia est, quam sæpius morum, studiorumque similitudo conjungit, qui sanctissimo illi post hominum memoriam BENEDICTO XIII. P. M. ita Se commendaverit, ut neque cariorem alium, neque digniorem, de quo optime Ille mereretur, habuisse unquam visus sit. Cujus quidem rei certissimum illud indicium est, quod LAMBERTINUM Anconitano Pontificatu jam decoratum ab Urbe prius discedere noluerit, quam proxima etiam supremo honori insignia Homini detulisset. Jam vero sapientiæ BENEDICTI XIV. quæ poteſt par oratio inveniri? quid est, quod quisquam aut dignum Illo,

aut

aut vobis novum, aut cuiquam inauditum possit afferre? Te, Clemens Albane, quem propter singularem optimatum artium doctrinam clarissimum, propter absolutam, propriisque nitentem, & contentam bona vitam beatissimum, propter auctoritatem maximum nominamus; Te, Innocenti Comes, cujus laudem ad sempiternam memoriam temporis non magis nobilitas, & majestas, quam prudentia, rerumque usus, ac dignitas propagavit; Te iterum, Benedicte Orsine, quem ut sanctissima illa vivendi ratio, ac consuetudo tua admirabilem, ita & præclara nobilissimarum disciplinarum scientia celeberrimum reddiderunt; Teque, Clemens Corsine, cujus apud omnes gentes propter vitam summa cum dignitate actam, singularemque humanitatem, & res maximas gestas vivit immortalis memoria, ac gloria; vos ego appello, Pontifices Maximi, qui jam in æternas illas beatorum sedes evecti, quæ hoc tempore a me dicuntur, auditis. Quanti Vos admirabilem ingenii celeritatem, quanti omnigenam eruditionem, quanti perspicuam, ac dignitatis plenam LAMBERTINI orationem faciendam putavistis? cujus auctoritas major apud Vos fuit? quem secretioribus consiliis vestris magis intimum habuistis? cujus in difficillimis negotiis sententiam tutius, libentiusque estis secuti? Eos vero Magistratus, quorum descriptione omnis veluti Religio continetur, quique industria, consilio, ac sapientia gerendi sunt, cui nam, id quod maxime facit auctoritatem, rectius demandandos, quam LAMBERTINO judicavistis? aut, dum ipse officia vobis, ac studia præstaret sua, cujus nam in agendo fidem, solertiamque, aut celeritatem in conficiendo, aut in providendo rationem tantopere admirati estis? Quamquam quid laudatoribus eget, aut testibus, BENEDICTE Pater Beatissime, doctrina tua? quæ scriptis commendata sapientissimis,

mis, ipsa de se, vel tacentibus aliis, & gloriosissime prædicat, & testatur luculentissime. Quis enim tua illa de referendis in Cælestium numerum Viris tam ingentia volumina perlegens, non es putet Beatas illas Mentes, pro quibus scriberes, Tibi ultro dictavisse? Sanctionum vero illa alia, in quibus non solum collectas, atque illustratas Majorum leges, sed etiam plurimas a Te pro temporum conditione noviter latas intuemur; nullam profecto rem esse declarant in Christiana Rep. capetendam, aut vitandam, quæ tuam scientiam fugere possit. Denique opera tua omnia sive de festis Eorum diebus, quos præcipua quadam religione Cives colunt tui, sive de Maria Virgine, ejusque cælesti Filio Reparatore nostro, sive de Re divina facienda, sive nuperrime de Synodis, sive alia de rebus quæcumque tandem in lucem edidisti, talia scilicet esse intelligimus, ut quemadmodum nos habemus, ita habituri sint posteri etiam in illis, quæ legant, quæ admirentur, quæ ad institutionem sui suscipiant: quin Ecclesia ipsa, dum erit, & maximum in iisdem suæ dignitatis ornamentum, & firmissimum stabilitatis præsidium sibi comparatum esse putabit. Age vero quanta sit in ipso BENEDICTO XIV. prudentia, breviter, ut cætera, consideremus. Si mehercule hujus Imperii Urbes, Oppida, ac Municipia loqui possent, atque ab iis aliquis requirat, unde omnia pacata, tranquilla, ac tuta, per hosce annos XIV. fuerint; unde extiterit tanta ubique concordia, tantus animorum consensus, tanta denique omnium ordinum hilaritas, ac lætitia: respondeant, se florentissimum rerum suarum statum unius BENEDICTI P. M. summo consilio, ac rationi acceptum referre. Ut enim nihil dicam de illorum delectu, quos ad Reges, atque ad Respublicas Internuntios; quosve in Populos, atque in Provincias, quæ in Ipsius

ditio-

ditione sunt, Legatos, ac Præfectos misit, Viros graves, ornatosque, & spectata cum vitæ integritate, tum nominis auctoritate: ut leges omittam, quibus firmius quoddam libertatis, salutis, ac tranquillitatis propugnaculum in Rep. constituisse visus est: difficillimis illis superioris proximi belli temporibus, quorum meminisse refugeret animus, nisi secura illorum recordatio & sua sponte delectationem haberet, & ad BENEDICTI laudem esset illustrior; illis, inquam, difficillimis temporibus, cum tota ferme Italia bello vexaretur, neque hoc Imperium ab exercituum itineribus, atque a castris liberum esset: cujus tandem prudentiæ fuit, ita se gerere, ut cum suos a bello otiosos, atque a partibus integros præstaret, tum sine armis, ac copiis non magis succurreret saluti, fortunisque communibus, quam suam dignitatem, auctoritatemque retineret? Erit, erit tibi, BENEDICTE Pater Beatissime, in omnem æternitatem celeberrimus ille, clarissimusque dies, quo die inimicissimi tunc inter se Borboniorum, Austriacorumque exercitus sub ipsis Romanæ Urbis mœnibus consistentes, prælium que jam jam commissuri, subito præter opinionem concursu abstinuerunt, veriti, ut omnes confirmarunt, ne aut victoris vis, aut victi fuga eam Urbem violaret; in qua Tu versareris, utrique parti propter insignem prudentiam admirabilis. O incredibilem auctoritatem, quæ per se cohibere Martis vim potuerit! O inter arma ipsa mirificam, & ante hoc tempus nunquam auditam pacis, salutisque conservandæ rationem! Sed quid ego plura commemoro? aut quid conor BENEDICTI virtutes omnes, gestasque res percensere? perinde quasi sperandum mihi sit, cum longiore oratione usus fuero, nihil vos præterea desideraturos esse, AA., neque tacitis expectationibus vestris plura adhuc a me prætermissa requisituros: aut non intelligam,

 quam

quam longe, lateque Christiani Imperii nomen patet, una universorum populorum voce illud passim, libenterque prædicari, in BENEDICTO uno, quæ in hominibus laudari solent, cumulatissime omnia inveniri, præclarisque Illum omnibus anteactæ vitæ rationibus comparatum, instructumque ad Pontificatum Maximum accessisse: Christiana autem Rep. Sibi commissa, ea semper præstitisse, ex quibus facile intelligi possit, præpositum omnibus in Imperio esse, Qui doctrina, Qui pietate, Qui religione vitæ, Qui prudentia, cæterisque virtutibus omnes facile antecelleret: aut non apud eos tandem loquar, quibus multo etiam magis, quam mihi BENEDICTUS XIV. cognitus sit, Quem præsentem sunt intuiti, Quem sæptus audivere loquentem, Cujus etiam, quæ Pontificis est humanitas, in familiaritate versati sint; ut mihi, si Hominem dumtaxat nominaverim, satis esse non possit. Itaque ut eo jam, quo hæc pertinent, deveniam, cum Te, VINCENTI Princeps Optime, talis, tamque clarus Vir, Qui in Christiana Rep. non magis dignitatis, atque honoris, quam virtutum atque sapientiæ principatum tenet; Quique ob id a Deo O. M. & terris datus, & Christiano Imperio præpositus esse videtur, ut esset unus, in quo certum omnium rerum egregiarum exemplar haberemus; cum, inquam, BENEDICTUS XIV. omnium hominum longe maximus, summique Dei Vicarium gerens, Te in Sanctissimum Christianæ Reip. consilium adlegerit, Alterumque ex iis esse voluerit, Qui certa sunt, ac splendidissima terrarum lumina, & Quorum auctoritate, ac sententiis tanquam firmissimis cardinibus, unde nomen accipitis, Christianæ Reip. salus, atque incolumitas nititur, ac sustentatur: quid nam, per Deum Immortalem, gloriosius, & ad commemorationem nominis Tui accommodatius dici potest, aut excogitari? A Majoribus quidem

dem tuis clariſſimis Viris, ac nobiliſſimis ſingulare in Te, Princeps, decus, honoremque derivare non ignoramus: ac quandiu Eorum maxima in omni bellorum genere virtus, quandiu in pace, atque in toga ſummum conſilium, quandiu tot, tantorumque Regum, Rerumque publicarum graviſſima de Illis, præclariſſimaque judicia, quandiu Malvetiorum Familiæ propinquitates, hoſpitia, dignitates litteris, & memoria celebrabuntur: tandiu ab Illis certè plurimum ornamenti, ac ſplendoris in Te etiam redundabit. Sed tamen, cum ampliſſimum honoris gradum intuemur tuum, cum animadvertimus Cujus tantum Tibi judicium promeritus ſis, Quis tantam curam, ac ſollicitudinem tam præclare de Te merendi præ ſe tulerit, ut vix octo, & triginta annos natum, Te in eum Ordinem, id quod ea ætate paucis admodum contigit, adſcriberet, in quem nullum Ille adlegerit, niſi aut regio genere illuſtrem, aut diſciplinarum, optimarumque artium laude præſtantem, aut eorum, qui ſtudia, qui fidem, qui fortunas, qui ætatem totam, in magnis, ac gravibus Chriſtianæ Reip. Muneribus conſumpſiſſent: hæc, inquam, cum animadvertimus, Princeps, tanto mehercle illuſtriorem Te inde cognoſcimus eſſe, quanto, & pace hoc Illorum dixerim, omnibus Majorum tuorum laudibus hanc unam tuam ampliorem eſſe intelligimus. Qua in re illud ego fidenter, atque intrepide affirmo, Majoribus illis ipſis tuis, Qui Te, Qui nos omnes intuentur ex alto, perinde meam hanc probari orationem, atque ii de acceſſione dignitatis tuæ ſummopere lætantur. Nam cum iſtis ſint corporis cuſtodiis liberati, atque ex his tenebris in lucem illam exceſſerint æternam, incomprehenſamque, quam qui intuentur, vera quæ ſint perſpiciunt: quanto ſcilicet regiis, pontificiiſque propinquitatibus, atque hoſpitiis, quanto imperiis, ac legationibus præſtare eos magiſtratus vident, qui ad Religionis majeſtatem, ac

præsidium sunt constituti; tanto libentius onoris insignia omnia, ac trophæa, quæ sibi Ipsi pepererunt, Tuis illis fascibus, latoque clavo, ac purpuræ inferiora existiment, atque submittant necesse est. Quin eo etiam nomine in primis gaudebunt, quod Nobilissimam Familiam amplissimo honore divinitus potius, quam humano consilio BENEDICTUS XIV. Vir ille ex omni memoria optimus, sapientissimusque, primus affecerit: quod scilicet inde non tam dignitate aucta, quam Ejus, qui contulit, auctoritate honestata esse videatur. Sed hæc tua laus, E. Princeps, quanquam maxima est; si tamen loci, Hominisque ipsius rationem habere voluerimus, longe profecto majorem esse, ac cumulatiorem intelligemus illam, quam paullo post consecutus es, cum ipse BENEDICTUS in suum Te locum suffecit, ut in Pontificatu hoc Bononiensi regeres Ecclesiam. Singulare enim illud judicium, quod ab Eo, cum in Sanctissimum Cardinalium Ordinem Te cooptavit, retulisti, est illud Tibi cum amplissimis quidem, & orbis terræ principibus Viris, sed tamen cum multis commune. At vero ejus non existimationis solum, sed etiam amoris cujusdam mirifici, quem ipse BENEDICTUS erga Te præ se tulit, cum hoc Te Sacerdotio non ita multo post honestavit, socium habes neminem: totum hoc quantuncunque est, quod certe maximum est, totum est, inquam, tuum. Nullus in illius societatem gloriæ se se offert, non eorum modo, quos, ut paullo ante dixi, BENEDICTUS XIV., cum Patrum numerus supplendus fuit, in summum Christianæ Reip. Consilium adscivit: sed ne ex illis quidem, quibus minores Ipse detulit Pontificatus, vel qui sunt quovis honore ab Eodem ornati, atque honestati. Tibi cedunt omnes; Tuam esse hanc laudem totam, ac propriam fatentur. Atque hic quidem a vobis, AA., peto, ut dum hujus

sin-

ſingularis renunciationis ſpeciem, quemadmodum in animo inſidet, adumbro, paulloque altius exordium rei demonſtrandæ repeto, benigne me, ut adhuc feciſtis audiatis. Quæro igitur a vobis, num quid eſſe poſſit homini carius, atque antiquius patria? Quam ſi obſcuram interdum nacti ſummi homines, tamen immortalitati facile anteponendam judicarunt: quibus proſequentur ſtudiis, qua caritate illam complectentur, qui celeberrimam, ac nobiliſſimam ſortiti fuerint, in eaque ipſi ſint & antiquitate generis, & gloria majorum, & ſuis virtutibus florentiſſimi? Quod ſi ad hæc munus etiam aliquod accedat publicum, graviſſimumque, ſi ad eam quacunque ratione tuendam, ac moderandam conſtitutus fueris; id quod eſſequi non potes, quin, quidquid agas, ad tuorum utilitatem civium referre conſueſcas; tunc demque, dici vix poteſt, quanta inde caritate incendaris, etiamſi fueris antea flagrantiſſimus! Sed amens ſim, AA., ſi homo longinquus, & alienigena multa de hac Urbe BENEDICTI XIV. Patria, veſtraque prædicem, ſi eam optimorum ſtudiorum domicilium, Regum ſæpe, atque Imperatorum, cum in colloquium cum Pontificibus Maximis venire optaverunt, hoſpitium, ſanctiſſimorumque fœderum auguſtiſſimam aram ſemper habitam eſſe, vos, vos, inquam, coner docere, qui hic nati, ſuſcepti, atque inſtituti eſtis, majorumque hic Imagines, fortunaſque omnes veſtras habetis. Sed neque de Lambertina Gente, aut iterum de ipſo BENEDICTO, id quod & pluribus verbis, niſi feſtinandum eſſet, & vera cum gloria poſſem, dicendum mihi in præſentia exiſtimo. Neque enim quiſquam tam hoſpes in hac Urbe verſatur, qui hoc ignoret, ex Lambertinorum Familia quam plurimos variis temporibus fuiſſe, qui & religione vitæ, ac pietate in Deum, & rebus fortiter, ac ſapienter

domi,

domi, militiæque gestis ita præstiterunt, ut ea non plus fere accepisse ad famæ celebritatem, quam Patriæ dedisse videatur. BENEDICTUM vero XIV. id suis virtutibus consecutum esse, ut in eam Familiam, quæ nullo pacto fieri illustrior putabatur, multum tamen luminis intulerit: hoc denique adeo perspicuum est, ut cæcus haberi in posterum omne tempus debeat, si quis LAMBERTINORUM laudes litterarum monumentis consignet, neque BENEDICTUM ex omnibus celebrandum sibi proponat. Nam ad Civitatis procurationem, atque ad singularem BENEDICTI erga suos caritatem, quod attinet, ne eadem sæpius dicam, neque vos diutius quam par est, morari videar; quæso a vobis, AA., ut ea reminisci in præsentia velitis, quæ Ille IV. hisce, & XX. annis, quibus huic Urbi Pontifex præpositus fuit, in omnium vestrum oculis vel absens [sic enim abfuit, ut adesse semper visus sit] atque in vestro conspectu gessit. Neque enim dubito, quin aa gratissima memoria recolentes de BENEDICTO XIV. ultro prædicaturi sitis, neminem ex omni antiquitate inter optimos, maximeque laudatos eo nomine cives fuisse, qui, non dicam LAMBERTINO anteferri, sed qui cum illo possit comparari. Quæ cum ita sint, cum Te, Princeps Optime, unum ex omnibus BENEDICTUS P. M. delegerit, qui boni sacrorum Antistitis, Pastorisque seduli, ac solertis animorum Tutoris officio Bononiæ fungaris: non ne id satis indicat, illom nulli plus unquam tribuisse, quam Tibi; neque præ Te ullum habuisse alium, quem ingenio, studiis, ac voluntatibus magis similem cognoverit Sui; adeo ut, cum Te summa præditum dignitate, auctoritateque domum remitteret, Ipse met in Patriam revetti Sibi videretur? Quid? An Patriam Ille, & Patriam celeberrimam, & Patriam Sibi tot, tantisque nominibus carissimam, & Pa-

triam

triam, a qua noverit, Se non communem, ut est, tantum, sed ejus ipsius proprium Parentem haberi: an Ille, inquam, hanc Urbem traderet, præsertim in suum locum, atque in Munere omnium maximo, sanctissimoque, regendam, atque administrandam, nisi omnium optimo, Suique simillimo? nisi ei, quem fortem in laboribus pro communi salute tolerandis, in consulendo, ac decernendo prudentem, in optima ratione constantem, justum in tribuendo cuique, quod suum est, vigilantem, acrem, industrium, religionis, morumque optimorum studiosissimum, nullius rei præter quam virtutis appetentem, facilem, clementem, pium, magnanimum ex omnibus esse diu, multumque expertus fuisset? Neque hæc quidem dum profero, verendum mihi est, nequis illud putet, quod est a meis moribus alienum, & a quo volens etiam modestia ipsa, ac dignitate tua impedirer, magna nimirum quædam, atque cælestia ad tuum Pontificatum exornandum, non ad rei veritatem exponendam animo mihi, cogitationeque fingere, ac commemorare. Ego enim, Princeps, cum vetera illa pietatis, ac virtutis exemplaria, Piriteos, Astorres, Bartholomæos, Virgilios, Musottos, Joannes, Troilos, aliosque innumerabiles heroas, qui ex Malvetiorum Familia prodiverunt, veræ fidei assertores, propagatoresque, Patriæ libertatis vindices, ac propugnatores, studiorumque Optimorum amplificatores memoria repeto; eorumque Te sanguinem, ac progeniem esse considero, quorum eximia religione, & sanctitate, rebusque fortiter, ac sapienter gestis, & litterarum monumentis non hæc Urbs solum, cunctaque Italia, sed totus terrarum orbis illustratus est; tum demum sic cogito: hanc ego orationem si vel apud barbaras gentes, in extremisque oris positas, quæ Te plane ignorarent, haberem, dummodo easdem non illud

etiam

etiam lateret, in vera nobilitate, atque in domesticis exemplis quanta vis ad excitandos, inflammandosque hominum animos ad virtutem sit; non ne vel Genua ipsum clarissimum tuum maximo illius argumento esset, nihil a me temere fuisse prolatum, omniaque vera esse illa, quæ ego de Te paullo ante sum persecutus? Cum vero illud etiam adderem, BENEDICTUM XIV., cum se Pontificatu Bononiensi abdicare constituisset, ultro Te delegisse, Quem in suum locum subsitueret, ut in communi utriusque Vestrum Patria Rem Sacram moderareris: tum demum quid esset reliquum, quod illarum animum in ea re dubium facere posset? aut verendum mihi etiam num esset, quominus ipsæ continuo meæ illi de Te orationi assentirentur? Nihil minus. Sed illud, opinor, potius timendum, Princeps, ut ne mihi perorare liceret, propterea quod voce illæ præeuntes, satis, dicerent, satis id argumenti est, Antistitem Optimum omnino esse, velut hæreditate relictas, Majorum suorum virtutes habere, quod illum talis, tantusque Pontifex opinione, sensuque suo probaverit, amplissimoque in ipsa Patria Sacerdotio dignum judicaverit. Nunc vero cum hæc Bononiæ dicantur apud cives tuos, cum plurimi audiant eorum, quibuscum amanter, ac familiariter vivere soles; verendum mihi erit, Princeps, ne ea ad speciem prolata videantur? Minime gentium. Quis enim horum est, qui non viderit ipse, & cujus Te in disciplinam jam inde ab adolescentia tradideris? & quibus Te Ipsum rebus maximo Illi, sapientissimoque commendaveris? & facto majoribus spe in negotiis doctrinæ, prudentiæ, fideique tuæ periculo, quam maximas Ille voluptates inde perceperit? tantas profecto, quantas credendum est, animo habuisse eum, qui Te Filium diceret suum, & eum Filium, cui nullus non honos deberetur, quique amplissimos quosque Magistratus non

tran-

tranquillia solum, sed etiam, si quæ forte inciderint, difficillimis temporibus possit administrare. Sed quid ego plura loquor? est, Princepa, est illa satis vulgata, omniumque sermonibus repetita, ac celebrata Allocutio, quam in nupera Cardinalium creatione ipse BENEDICTUS, coram Romanis Patribus habuit: in qua mirum de omnibus, quos in sanctissimum Ordinem cooptavit, quam multa sint honorificentissime dicta; at de Te uno plurima etiam sunt amantissime scripta. Quæ ego, quoniam oris hilaritas vestra, audiendique diligentia me, AA., invitat, eo scilicet libentius recitabo, quo magis ad rem video pertinere. ERIT, inquit, QUEM NOS AB INEUNTE ADOLESCENTIA, AD QUADRAGENARIAM, QUAM PROPE ATTINGIT, ÆTATEM, VELUTI IN SINU NOSTRO EDUCATUM, AC PER NOS IPSOS MINORIBUS, MAJORIBUSQUE ORDINIBUS BONONIÆ INITIATUM, OPTIMIS SEMPER STUDIIS, AC DISCIPLINIS DEDITUM, ILLIBATISQUE, AC SACERDOTALIBUS MORIBUS ORNATUM CONSPEXIMUS; CUJUS, DUM LATERI NOSTRO QUARTUM DECIMUM JAM ANNUM ADHÆRET, PRUDENTIAM, FIDEM, ET IN OFFICIO ASSIDUITATEM EXPERTI SUMUS: AC SIMUL PERSEVERANTEM IN ECCLESIASTICIS STUDIIS VOLUNTATEM COMMENDARE, ET, COMMUNICATIS SÆPE NEGOTIIS, PLURIBUSQUE EIDEM OPPORTUNE DEMANDATIS, POVERE, ET EXERCERE NON OMISIMUS. Sed neque illa tacitus ullo modo præterire possum, quæ Pontificatu Bononiensi deposito, ipse BENEDICTUS XIV., cum hunc VINCENTIUM CARDINALEM AMPLISSIMUM in suum locum substitueret, in eandem sententiam protulit. EJUSMODI, inquit, PRÆCLARIS DOTIBUS (nam quæ Leo IX. Pontifex ille

Sanctissimus, cum Odonem Tullensi Ecclesiæ in suum locum sufficeret, maxima cum laude olim de Homine dixit, paullo sunt antea commemorata) EJUSMODI, inquam, PRÆCLARIS DOTIBUS, ait, OMNINO PRÆDITUM AGNOSCIMUS DILECTUM FILIUM NOSTRUM VINCENTIUM CARDINALEM MALVETIUM. IPSUMQUE OB ECCLESIASTICAM SUAM VIVENDI RATIONEM PATERNA SEMPER BENEVOLENTIA, TANQUAM FILIUM, PROSECUTI SUMUS: PROINDE CERTA SPE DUCIMUR, FORE, UT, QUÆCUNQUE A NOBIS PRÆTERMISSA FUERUNT, PER ILLUM EMENDENTUR. QUARE.... IPSUM BONONIENSI ECCLESIÆ PRÆFICERE INTENDIMUS. O amoris, atque existimationis indicem orationem! O Te ex omnibus Antistitem optimum, laudatissimumque, Quem talis Pontifex in Filii diligit loco! Cui educatorem Se, doctoremque profitetur! postremo [quæ est mehercule ante hoc tempus nunquam audita, summi hominis demisse de se sentientis modestissima, at illi, cujus causa edita est, honestissima dicendi ratio] a Quo etiam corrigi atque emendari possint, quæ ab illo fuerint prætermissa! Gaude itaque, Princeps, tuo isto tam excellenti bono, & fruere cum dignitate, & amplitudine tua, tum etiam gravissimo Ejus, ac maximo, qui Te ornavit judicio, atque amore singulari. Quoties Te in sanctissimum Christianæ Reip. Consilium adscitum recordaberis ab Eo, Cujus eximiam pietatem, ac pene divinam sapientiam, prudentiamque incredibilem omnes ad exemplum intuentur: toties Familiæ tuæ, quæ celebris semper, & illustris habita est, plus addidisse Te ornamenti, ac splendoris, quam ab eadem acceperis, jure lætaberis. Cum vero hæc etiam Templa, sanctissimasque Aras, animosque nostros tuæ sapientiæ, fidei, potestatique commissos,

fos, creditosque ab Eodem fuisse cogitabis; tum eam Te etiam laudem, gloriamque adeptum esse gratulaberis, quæ & sit ipsa per se se maxima, & tui propria, ac præcipua unius, neque cum ullo communis: adeo ut si quis quondam non expresso Te nomine intelligi velit, Eum dicere possit, quem BENEDICTUS ille XIV. Pontifex Maximus, quod sui simillimum omni in re agnovisset, & Filium vocavit suum, & Bononiensem Antistitem creavit. Id quod Cives intelligentes tui, difficile dictu est, Princeps, ut ir faustissimo amplissimi Sacerdotii tui nuntio accepto, cum lætissimis vocibus, maximeque effusis plausibus, & gratulationum exquisitis significationibus tuum nomen in cælum attollerent; quam multis eodem tempore, ac quam singularibus verbis BENEDICTO etiam Pontifici Maximo gratias agerent, quod tam egregiam erga suos voluntatem præ se tulerit, ut Te maximam animi sui partem a se discedere vellet; ut in ista dignitatis Sede celsissima collocatus, hujus Ecclesiæ gubernacula tractares, vitaque nobis tua pro exemplo, voluntate pro lege esses, ac voce pro oraculo. Atque utinam, Princeps, magnificentissimis illis publicæ voluptatis argumentis adfuisses, bonorumque omnium voces, cum fora, ac Templa, privatorumque domus, totaque Urbs pro recenti Pontificis Maximi in Tua Dignitate beneficio gestire quodammodo, atque exultare undique videretur, præsens audivisses. Persuasissimum enim mihi est, singularem illam communis voluntatis significationem, in summa etiam felicitate tua, cumulum tamen gaudii Tibi fuisse allaturam. Quis enim hæc, in suo præsertim honore, auscultans, non incredibili quadam lætitia afficeretur? Te, BENEDICTE Pater Optime, ac Beatissime, [hæc enim una omnium vox fuit] Te Deus ille, cujus Tu Personam in terris sustines, incolumem quam diutissime ser-

vet; ac quando nullam nos partem tuorum meritorum non modo referenda, ſed ne cogitanda quidem grazia conſequi poſſumus; Idem Ille bonorum Auctor omnium, ac largitor munificentiſſimus eam Tibi referat cumulatiſſime. Tu hic jam & privatim, & publice plurima undique tuæ erga nos caritatis monumenta Tibi condideras. Tibi rem familiarem conſervatam, Tibi etiam auctam nonnulli debebamus. Tibi otium, Tibi dignitatem, Tibi ſalutem plurimi noſtram acceptam referebamus. Quin optimæ artes, ipſaque Religio, quæ hic habent potiſſima ornamenta, tuo beneficio auctas ſe illis eſſe fatentur. At hæc, quæ nobis tanta jam eſſe videbantur, ut ne taciti quidem majora auderemus optare, Tu unus parum tuis erga nos ſtudiis reſpondere judicaviſti, niſi illa novi beneficii acceſſione cumulares. Tu VINCENTIUM MALVETIUM, in Quo eandem humanitatem tuam aſpicere, eandem verborum gravitatem audire, iiſdem omnibus virtutibus tuis frui liceret, in Patriam redire, Religioniſque apud nos Antiſtitem eſſe juſſiſti. Qua mehercule re illud etiam tam ingens deſiderium, quod nos jam diu tenebat, quodque leniri nullo modo poſſe rebamur, Te videndi in Patriam redeuntem, ſubito Tu, ſupra ſpem, expectationemque noſtram, mirum in modum expleviſti. Hæc autem dum dicerent, Princeps, operæ pretium erat audire, quam multa pro tua felicitate vota facerent: quam ſibi etiam, Te Antiſtite, fauſta omnia, ac beatiſſima pollicerentur. Sic enim cogitabant: nos, vel abſente Pontifice, hic tamen per Eum regnare pacem, animorumque tranquillitatem, pietatem fervere, vigere juſtitiam perſpeximus; neque earum rerum, quæ ad bene, beateque vivendum neceſſe ſunt, ullam unquam deſideravimus: quid tandem ſperandum nobis eſt futurum Eo preſente, Quem explo-

ploratum sit, Sibi id proposuisse, ut Illum, Cujus in locum suffectus est, potius, æmulari contendat, quam committere, ut non satis respondere tradito Sibi Honori judicetur? At si quis sublatis in Cælum manibus omnium rerum moderatori Deo immortales gratias egit, magnamque in spem venit, cum Te, VINCENTI Princeps Optime, Bononiensem Antistitem creatum esse, renuntiatum est: dubitare utique non potes, quin nos tanto cæteros in eo superaverimus, quanto præ cæteris optabilius nobis esse debuit, nostris studiis, muneribusque omnibus præsse eum, qui BENEDICTI XIV. esset ex disciplina. Cum enim illas Ædes teneamus, quæ Illi in amore, atque in deliciis fuerunt, quasque alendorum causa, erudiendorumque Adolescentum, qui sacris addicti essent, extruxit; quas denique ita perfecit, ut neque ad commodum, neque ad ornamentum, neque ad litteras, scientiasque excolendas, quidquam desiderari possit; a quo nos libentiori animo, majorique voluntate in fidem, ac clientelam receptum iri arbitraremur, quam ab Eo, in Cujus præstanti, singularique natura, virtæque ratione mirabili ad laudem, tanquam exemplar aliquod BENEDICTI XIV. intueri facillimum sit? aut cujus Nos propterea æquiore Imperio, ac clementiore, quam Tuo, usuros esse confideremus? Qua in re Hominis humanitatem admiramini, Auditores, Effecit Hic VINCENTIUS Cardinalis Amplissimus, atque Optimus Antistes, ut ne exorandus quidem nunc sit a me, ne tanta, quam de Eo cœpimus, spe falli nos unquam patiatur. Nam, cum Romæ etiam num esset, datis ad Moderatorem nostrum litteris humanitatis, ac benevolentiæ plenis, eadem sua erga nos studia, eandemque animi propensionem fore, atque BENEDICTI Pontificis Maximi fuisset, ultro pollicitus est: ut mihi agendæ Illi gratiæ eo nomine sint

quam

quam maximæ, rogandusque dumtaxat, id quod facio, ut, si ad Ejus auctoritatem, ac nutum paratos nos esse intelligit, si ingenium, si industriam, si labores, si nostra omnia, nosquemet ipsos Illi tradimus, ac consecramus, si omnem nos curam, ac cogitationem adhibituros esse, ut demandatis nobis muneribus recte, fideliterque fungamur, sanctissime pollicemur: quando hoc semel tribuit humanitati, ut nos in suam fidem reciperet; tribuat idem naturæ, constantiæque suæ, ut susceptos tueri velit, ac conservare. Dixi.



Vidit

Vidit D. Paullus Josephus Scati Clericus Regularis Sancti Pauli, & in Ecclesia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius pro Eminentissimo, & Reverendissimo Domino D. Vincentio Cardinali Malvetio Archiepiscopo Bononiæ, & S. R. I. Principe.

Die 7. Junii 1754.

IMPRIMATUR.

Fr. Petrus Paulus Salvatori Vicarius Generalis S. Officii Bononiæ.


LUX ALMA
COLORES

